

Prefatio

Incipit prefatio sancti Hieronymi in omnes epistolas sancti Pauli.

Primum querit: quare post euangelia a supplementum legis sunt et in quibus nobis exempla et precepta viuendi plenissime digesta sunt: voluerit apostolus has epistolas ad singulas ecclesias destinare: hac autem causa factum videtur: ut scilicet initia nascentis ecclesie nouis causis existentibus inueniret: et ut presentia atque orientia refecaret vitia: et post futuras excluderet questiones: exemplo prophetarum qui post editam legem moysi in qua omnia dei mandata legebantur: nihilominus tamen doctrina sua rediuita semper populi compescere peccata: et propter exemplum viuendi libros ad nostram etiam memoriam transmiserunt. Deinde querit: Cur non amplius quam decem epistolas ad ecclesias scripserit? Decem sunt enim cum ea que dicit ad hebreos. Nam relique quatuor ad discipulos specialiter sunt porrecte. Ut ostenderet nouum non discrepare a veteri testamento: et se contra legem non facere moysi: ad numerum primorum decalogi mandatorum suas epistolas ordinauit: et quod ille preceptis a pharaone instituit liberatos: totidem hic epistolis a diaboli et idolatrie seruitute edocet acquisitos. Nam et duas tabulas lapideas duorum testamentorum figuram habuisse viri eruditissimi tradiderunt. Epistolam sane que ad hebreos scribitur: quidam pauli non esse contendunt: eo quod non sit eius nomine titulata: et propter sermonis stilique distantiam: sed aut barnabe iuxta tertulianum aut luce iuxta quosdam: vel certe clementis discipuli apostolorum et episcoporum romane ecclesie post apostolos ordinati. Quibus respondendum est: si propterea pauli non erit: quia eius non habet nomen: ergo nec alicuius erit: quia nullius nomine titulatur. Quod si inconueniens absurdumque est: ipsius magis esse credenda est que tanto doctrine sue fulget eloquio. Sed quoniam apud hebreorum ecclesias quasi destructor legis falsa suspitio habebat: voluit tacito nomine de figuris legis et vite christi reddere rationem: ne videtur nomen in fronte titulati vitularet excluderet lectionis. Non est sane mirum si eloquentior videatur in proprio: id est hebreo quam in peregrino: id est in greco quo ceterae epistolae sunt scriptae sermone. Mouet etiam quosdam: quare romanorum epistola in primo sit posita: cum ea non primo scriptam ratio manifestet. Nam hanc se perficentem hierosolymam scripsisse testatur: cum corinthios et alios iam ante ut ministerium quod secum portaturus erat colligeret litteris adhortatus sit. Unde et intelligi quidam volunt ita omnes epistolas ordinatas: ut prima poneretur quae posterior fuerit destinata: ut per singulas epistolas gradibus ad perfectiora veniret. Romanorum namque plerique tam rudes erant: ut non intelligerent dei se gratia et non suis meritis esse saluatos: et ob hoc duo inter se populi conflictarent. Idcirco illos indigere assertis et corrigi: vitia gentilitatis priora commemoras. Corinthiis autem iam dicit scientie grati-

Prologus

am esse concessam: et non tam omnes increpat quam cur peccantes non increpauerunt: reprehendit: sicut ait: Audite inter vos fornicatio. Et iterum: Congregatis vobis cum meo spiritu tradere huiusmodi sathane. In secunda vero laudant: et ut magis ac magis proficiat commoneant. Galathae vero iam nullius criminis arguuntur nisi hoc tamen quod callidissimis pseudo apostolis crediderunt. Ephesii sane nulla reprehensione: sed multa laude sunt digni: quia fidem apostolicam seruauerunt. Philippenses etiam multo magis collaudant: qui nec audire quidem falsos apostolos voluerunt. Colossenses autem tales erant ut cum ab apostolo visi corporaliter non fuissent: hac laude digni haberent. Et si corpore inquit absens sum: sed spiritu vobiscum sum gaudens et videns ordinem vestrum. Thessalonicenses nihilominus in duabus epistolis omni laude persequitur: eo quod non solum fidem in commensam seruauerint veritatis: sed etiam in persecutione ciuium fuerint constantes inuicti. De hebreis vero quid dicendum est: quorum thessalonicenses qui plurimum laudati sunt imitatores facti esse dicunt. Sicut ipse ait: Et vos fratres imitatores facti estis ecclesiarum dei que sunt in iudea: Eadem enim passi estis et vos a tribulibus vestris: qui et illi a iudeis. Apud ipsos quoque hebreos eadem commemorat dicens: Nam et vinctis compassi estis et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam.

1. Cor. 5. a.
Ibidem. b.

Col. 2. a.

1. Thessal. 2. c.

Heb. 10. g.

Prologus specialis in epistolam ad Romanos.

Romani sunt qui ex iudeis et gentibus crediderunt. Hi superba contentione volebant se alterutrum supponere. Nam iudei dicebant: Nos sumus populus dei quos ab initio dilexit et fouit: nos circumcisi ex genere abraam sancta descendimus ex stirpe et notus retro apud iudeam tamen deus. Nos de egypto signis dei virtutibus liberati: mare sicco pertransiimus pedes: cum inimicos nostros grauissimi fluctus inuoluerent. Nobis pluit manna dominus in deserto et quasi filiis suis celeste pabulum ministravit. Nos diuotus in columna nubis ignisque processit ut nobis in inuito iter ostenderet. Atque ut cetera eius circa nos immensa beneficia taceamus: nos soli digni sumus dei legem accipere: et vocem dei loquentis audire eiusque cognoscere voluntatem. In qua lege nobis promissus est christus: ad quos etiam ipse se venisse testatur est: dicens: Non veni nisi ad oues que perierunt domus israel: cum vos canes potius quam homines appellauerit. Equum ne ergo est ut idola hodie deserentes quibus ab initio deseruistis: nobis comparemini: et non potius in proselytorum locum ex legis auctoritate et consuetudine deputemini? Et hoc ipsum non merebamini nisi quia larga semper dei clementia voluit vos ad nostram imitationem admittere. Gentiles etiam e contrario respondebant. Quanto enim maiora erga vos

Matth. 15. c.

Prologus

Dei beneficia narraueritis: tanto maioris vos criminis reos esse monstrabitis. Semper enim his omnibus extitistis ingrati: Nam ipsis pedibus quibus aridum mare transistis: iudebatis ante idola que fecistis: et ipso ore quo paulo ante ob necē aduersariorum domino cantaueratis: simulacra vobis fieri poposcistis: illis oculis quibus venerādo deum in nube vel igne conspiceretis solebatis: simulacra intuebamini. Adāna quoque vobis fastidio fuit: et semper in deserto contra dominum murmurastis: ad egyptum vnde vos manu valida eiecerat redire cupientes. Quid plura? Ita patres vestri crebra prouocatione dominum irritauerūt: ut omnes in heremo morerentur: nec plus ex senioribus eorum quam duo homines terram repromissionis intrarent. Sed quid antiqua replicamus: cum etiam si illa minime fecissetis: de hoc solo nemo vos dignos veniam iudicaret: quod dominum christum prophetarum semper vobis vocibus repromissum: non solum suscipere nolulistis: sed etiam morte pessima peremistis. Quē nos ut cognouimus: statim credidimus: cum nobis de eo antea non fuerit predictum. Unde probat: quod idolis seruiamus: non oblationi mentis: sed ignorantie deputandū. Qui enim cognitum ilico sequimur: olim utique sequeremur si antea cognouissemus. Sic autem vos de generis nobilitate iactatis quasi non morum imitatio magis quam carnalis natiuitas filios vos faciat esse sanctorum. Benignus esau et ihsmael cum de stirpe sint abrahe: minime tamen in filiis reputantur. His taliter altercantibus: apostolus se mediū interponens: ita partium dirimit questionē ut neutrum eorum sua iusticia salutem meruisse confirmet: ambos vero populos et sciēter et grauer deliquisse. Iudeos quidem quod per peruersionem legis deum inhonorauerint: gentes vero quod cum cognitum de creatura creatorem ut deū debuerint venerari: gloriam eius in manufacta mutauerint simulacra. Utroque etiam similiter veniam consecutos equales esse verissima ratione demonstrat: presertim cum eadem lege predictum sit et iudeos et gentes ad christi fidem vocandos esse ostendat. Quāobrem vicissim eos humilians: ad pacē et concordiam cohortatur.

Explicit prologus. Incipit argumentum.

Romani sunt partis italię. Hi preuerti sunt a falsis apostolis: et sub nomine domini nostri Iesu christi in legem et prophetas erant inducti. Hos reuocat apostolus ad veram et euangelicam fidem: scribens eis a corintho.

Explicit argumentum.

auctoris

Reuerendissimi in christo patris et domini domini Hugonis de sancto Charo: sacrosanctę ecclesię Romanę Tituli sanctę Sabine Cardinalis primi de ordine predicatorum in postillam super Epistolam sancti Pauli: Prologus.

Beniamin lupus rapax: mane comedit prædam et vespere diuidit spolia. Gen. xlii. d. Paulus significat per beniamin: propter septem rationes. Primo quia de eius tribu fuit. Phil. iij. a. Circumclusus octavo die de genere israel: de tribu beniamin. Secundo propter nominis interpretationem et mutationem: Factus est enim de filio sinistre filius dextre: et de paulo paulus. Act. ix. Tertio propter modum nascendi: quia dum nasceretur perijt mater sua: et in conuersione pauli: perijt synagoga: mater eius spiritalis. Quarto propter angariam natiuitatis: quia uterque natus est abortiuus. i. Cor. xv. b. Tanquam abortiuus visus est et mihi. Quinto propter formam actionis: quia sicut in sacco beniamin inuentus est cyphus argenteus ioseph: ita in persona pauli inuenta est sapientia et eloquentia multa nimis. Th. ij. Cor. iij. b. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Sexto propter prophetiam: quia quod prophetatum est de beniamin: Beniamin lupus rapax et beato paulo conuenit: quia in mane inuentus suę sanctos persecutus est: sed in vespere conuersionis suę ad dominum: spolia a diabolo erepta diuisit per diuersa officia. Septimo propter modum apparenti: quia ioseph apparuit beniamin tanquam iratus: ita christus paulo: Act. ix. a. quando eum excecavit et in terram prostravit. De isto lupo dicit Esa. xj. b. Habitabit lupus cum agno. Glo. id est Paulus cum anania. Lupus enim fuit propter rapacitatem: Rapuit enim prædam dei de ore diaboli. Fuit autem non solum lupus: sed et leo. De quo Proverb. viij. d. Leo fortissimus animalium: ad nullum pauebit occursum. Paulus enim neminem expauit. Roma. viij. g. Certus sum enim quod neque mors neque vita neque angeli et. De hoc leone dicit Iudic. xij. c. De comedente exiit cibus et de forti egressa est dulcedo. Et non potuerunt per tres dies appositionē soluere. Comedens est paulus: qui sub gamalielle legē sibi incorporauit: et euangelium non ab hominibus: sed a deo didicit. Gal. j. a. Vel comedens: quia quasi maxilla filios incorporauit ecclesię. Gal. iij. c. Filioli mei quos iterum parturio donec formetur christus in vobis. De hoc comedente exiit cibus sanctę predicationis. i. Cor. ij. b. Sapientia loquimur inter perfectos. Et non solum cibus: sed et potus. i. Cor. iij. a. Lac potus dedit vobis: non escā. Fortis fuit ad portandum onera ecclesię. Act. ix. c. Vias electionis mihi est iste ut porter et. Non solum fortis fuit iste leo: sed et audax ad persequendum pseudo apostolos. ij. Cor. iij. c. In quo quis audeat: audeo et ego. De hoc forti egressa est dulcedo: quia mel et lac sub lingua eius: Cant. iij. c. Et Ps. De petra melle saturauit eos. i. gentes. Et Deut. xxxij. b. Et suggeret mel de petra: oleumque de saxo durissimo. De forti ergo egressa est dulcedo. i. de paulo doctrina istius libri. Per dulcedinem ergo mellis intelligit causa suscepti operis. Quę triplex est secundum triplicem effectum mellis. Amaritudinem reprimat: a putrefactione custodit et mūdificat: Et apostolus ad hoc scribit epistolam: ut virtute fidei declarata: oneralegis et distinctionē euacuet: et fulgura prophetarum. i. cominationes in pluuia vertat: permissionū euangelicarum: et ut a prauitate hereticę doctrine nos custodiat: et ut soluendo questionē corda fidelium a multis scrupulis errorum euacuet. Modus agendi est talis: ut in omnibus epistolis falsa remoueat: et veritatem commendat. Per hoc quod non potuerunt soluere per tres dies expositionem: notat difficultas huius libri: in quo excitat attentio. Tanquam enim difficultatis est quod signacula. i. difficultates et obscuritates eius non poterant aperiri: per tres dies. i. nec per cognitionem naturalem: nec per acquisitam. i. per artem: nec per datā. i. per gratię illuminationē. De hac triplici cognitione habetur Proverb. xxij. c. Ecce descripsi eam tripliciter. Non igitur restat nisi ut apud sanfonē lachrymas fundamus: ut diligenter studeamus ut aremus in virula eius: ut habeamus expositionem huius libri.